





6

M 11/3.

1787/10.

DE  
**M E T H O D I**  
 IN  
 MORBIS EXSPECTANDI  
**PRAESTANTIA.**

ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS  
 CONSENSU  
 IN  
 ACADEMIA MOGUNTINA  
 PRO  
 GRADU DOCTORIS ET PRIVILEGIIS  
 RITE CONSEQUENDIS

QUAEDAM DISSERTIT, ET AD AUDIENDAM DEMON-  
 STRATIONEM BOTANICAM PUBLICÈ HABENDAM  
 INVITAT

A U C T O R  
**AUGUSTINUS SCHÜTZ**  
 BRUCHSALIENSIS

DIE XXVII. SEPTEMBRIS MDCCCLXXXVII.  
 IN AULA MAJORI.

---

MOGUNTIAE,  
 Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. privil. apud Joan. Jos. Alef,  
 Hered. Haefner.

230.

M. E. T. H. O. D. I.  
MORBUS RESPECTANDI  
PRAESENTIA

Plus interest nosse, quo morbi tempore medicina recte offeratur, quam qualis ea in universonum, detur.

Cl. STRACK in Dissert.  
de tussi convulsiva.

BOUSTINIUS SCHULTZ  
M. A. G. A. M. A. L. O. R. I.  
I. M. P. R. I. M. U. S. T. I. P. L. I. C. I. T. A. T. U. S.

REVERENDISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS,  
ILLUSTRISSIMIS

AC

PERQUAM GRATIOSIS

DOMINIS DOMINIS

*PRAEPOSITO,*

*DECANO,*

*PRAELATIS,*

AC

*CAPITULARIBUS,*

ETC. ETC.

METROPOLITANAE ECCLESIAE  
SPIRENSIS, MECOENATIBUS AC  
PATRONIS MAGNIFICEN-

TISSIMIS ETC. ETC.

*D. D. D.*



REVERENDISSIMI,  
ILLUSTRISSIMI AC GRATIOSI  
DOMINI DOMINI  
P R A E L A T I  
AC  
CAPITULARES  
MECOENATES GENEROSISSIMI!

*V*estra sunt gratiosa subsidia, quibus laetiores hosce studii academici fructus hoc anno meto — quid aequum magis erat, quam ut vestris sub auspiciis  
horum

REVERENDISSIMI  
ILLUSTRISSIMI AC GRATISSIMI  
DOMINI DOMINI  
B. R. A. S. A. S. J.  
C. A. S. T. R. A. S. S. I.  
MAGNIFICENTIAE SENATUS

horum fructuum laureas publici juris  
faciam! — —

Accipite itaque paucas hasce primi  
mei efflorescentis ingenii pagellas tan-  
quam perpetuum gratitudinis observan-  
tiae et submissionis meae monumentum,  
et



et concedite gratioſe, ut ultra mihi liceat, munificentia veſtra gratioſa ad perficiendam magis meam in humanitatis infirmæ ſervitium, facultatem gloriari.

Ita ego in vocatione mea hæud deſiſtam, in commune commodum tam  
indé.

*indefesse laborare, quam constanter om-  
ni Pietatis cultu sum.*

**TANTORUM NOMINUM**

**OBSEQUIOSISSIMUS  
AC OBSERVANTISSIMUS  
SERVUS  
AUGUST. SCHÜTZ.**

---

DE  
METHODI IN MORBIS EXSPEC-  
TANDI PRAESTANTIA.

---

II.

DE CURATIONE MORBORUM IN  
GENERE.

§. I.

**O**mnium morborum causae sive in fluidis, sive in solidis, aut in utrisque haereant, eandem medici intentionem requirunt, scilicet ut penitus auferantur. Id duplici ratione fit; aut evacuando aut alterando, est quoque, ubi et alterantia et evacuantia junctim conferunt, ambo vi naturae ac medicaminum sunt.

§. II.

Salutifera naturae nostrae facultas, quae nullo aevō latere potuit, aperte quoque jam cognita fuit medicorum parenti magnoque

A

Prin-



Principi HIPPOCRATI, naturam morbis mederi, et a nullo edoſtam naturam, citra diſciplinam ea efficere, quae conveniunt. a)

Aurea ſunt, nec niſi poſt longam demum et arſiduum naturae in morbis agentis obſervationem divi huius viri prolata verba, eandem naturae vim praeter quamplurimos ex veteribus alios perſpexit etiam alterum illud medicinae lumen CLAUDIUS GALENUS naturam inquiring nunquam ceſſare b) verum potius in omnibus auxiliari c) imo neminem ſervari, niſi natura ſuperaverit morbum d). Tantum vero abeſt, ut recentiores etiam naturae haſce vires denegent, ut, quot quot fere inter artis ſuae praetantiffimos viros quondam numeravere, et hodie numerant medici, uno ferme ore illos agnoſcant: ex ingenti horum numero, qui prae aliis naturae ſalutares

a) Lib. 6. Epidem. Lect. 5. §. 1. 2.

b) Meth. med. lib. 3. cap. 3.

c) In libro. num. ars tuendae ſanitatis ad medicinam ſpectet, num. ad exercitatoriam artem cap. 26.

d) Lib. de totius morbi temporibus cap. 5.



salutares effectus experientiis approbavere et  
hance facultatem summopere passim in suis  
scriptis extollunt nominasse sufficiat SCHELHA-  
MERUM *e*) BOHNIUM *f*) SYDENHAMIIUM *g*)  
FR. HOFFMANNUM *h*) BOERHAVIUM *i*) SWIE-  
TENIUM *k*) WERHOFIUM *l*) MICH. ALBERTI  
*m*) TRILLERUM *n*) OOSTERDYCKIUM SCHAGT *o*)

GAV.

- e*) In Lib de natura sibi et medicis vindicata.  
*f*) In circulo anatomico physiologico dissert de arte  
naturae aemula.  
*g*) In suis operibus medicis.  
*h*) De natura c. h. mechanici medicatrice, et arte na-  
turae auxiliatrice — quod plurimi aegrotantium mor-  
riantur magis juxta leges artis, quam naturae — de  
salubritate februm etc.  
*i*) In orat. honor. medici fervitus.  
*k*) In suis commentariis ubique.  
*l*) In suis cautionibus medicis de limitandis laudibus  
et vituperiis morborum et remediorum, imprimis  
tract. 2.  
*m*) De morborum salubritate hal. 1723. de naturae  
lucta cum morte et medico hal. 1727. de natura  
morborum medicatrice hal. 1729.  
*n*) Progr. de probi medici officio in conservanda potius  
quam immutanda natura vit. 1772 de mira naturae  
solentia in reparandis damnis corpori animato illatis  
vit 1756.  
*o*) in orat morbus remedium, habita utraj. 1732.

A 2

GAUBIUM p) STRACKIUM q) STOLLIIUM r)  
BALDINGERUM s) RICHTERUM t) etc. Summa  
Nomina!

§. III.

Haecce naturae in alterando et evacuan-  
do Salutifera molimina etiam ad lectos aegro-  
rum perpicimus, quibus excitato nervorum  
totiusque vitae tumultu inimicum corporis  
hospitem triturat coquit subigit, et per varia  
illi proportionata emunctoria expellit, et pla-  
cidam illam circulationis nervorum, omnium-  
que functionum pacem restituit.

Quan-

p) Infit. Path.

q) Obl. med. de feb. intermitt. — de morbo cum pe-  
techiiis etc. ubi plures aegrotos citat, quos sponta-  
neum alvi profluvium salvavit absque pharmacis  
remediis.

r) In sua rat. med.

s) De methodo morbis medendi quae adfruit, per  
morbos produci salutares effectus. — De effectibus  
salutaribus qui fiunt in morbis.

t) De natura morborum per morbos victoria, de na-  
tura se ipsam nunc vindicante, nunc destruyente,  
iusto febrium moderamine.

Quantum itaque fieri poterit curationem nostram juxta ea instituasimus, quo sequentia redeunt praecepta; *ut impedimenta removeantur, ut vires moderentur, ut natura fulciatur ad coctionem ad secretionem et crises perficiendas*: de cuius utique ad curam radicalem tutiori, et in melioris defectu, certe optimo usu, mihi sub isto dissertationis titulo quaedam principia dissertanda objeci: quin tamen remedia activa saepius juvasse denegem, eademque ubi periculum in mora est, sine cunctatione, ut cito supprimatur pejus adhiberi debere.

#### § IV.

Medicus autem practicus minus scrupulose inquit quibus c. h. legibus haec omnia fiant, neque explicare se omnia posse semper gloriatur; siquidem *in non demonstratis praestat nihil statuere, quam ad hypotheses recurrere inque his tutior est ignorantia quam hypothesisum illusto u)* antiquissimi medici; qui omni  
nunc

u) C. l. Strack Dissert. de tussi convulsiv. pos. III.

nunc inventorum compositorum medicamentorum, faragine destituti erant, eo strenuius ac scrupulosius naturam observarunt ac ad nutum ejus morbos feliciter curaverunt, adeoque recentiores medici excellentissimi antea ab hac via aberrantes, iterum eo revenerunt; et uti hippocrates omnem in observanda natura ejusque operationibus salutiferis laborem jam impendunt, certiusque inspiciunt, pro praxi medica antiquissimam pathologiam femioticam s. hippocraticam superque hanc fundatam curandi methodum expectativam sola collectione fideli observatorum enixam, ob *Evidentiam, Usam, Necessitatem, Idemtitatem etc.* pathologiae demonstrativae ejusque activae methodo *dubiae mutabili ac cuilibet fere seculi diversae* longe esse praefendam. w)

II,

---

w) Conferatur simul die Vorrede des 1ten Theils von J. L. Schmuckers Warnungen aus der Wunderzney wissenschaft.





III.

DE METHODO JUXTA MORBORUM  
STADIA EXSPECTANDI IN GENERE,  
EJUSDEMQUE REQUISITIS ET  
CONDITIONIBUS.

§ V.

Naturae operationes paululum acuratus observantes, morbos non sibi semper similes esse, facile perspicimus variaque inde temperatura ac stadia jure stabiliri posse, per quae natura in debellandis morbis tum acutis tum chronicis modo longius modo brevius tempus implet, hoc non recentes medici expectativi solum observant, sed antiquissimus olim HYPOCRATES expertus est: dicens *omnibus morbis est modus unus*. Quam maxime vero medici interest, in omni morborum genere ad stadia praepimis attendere, juxtaque ea curam instituire in quibus non solum videre potest quae materia, sed quomodo etiam corrupta materia agat, et in quo vires aegrotantis gradu consistant. Ad id paucis tunc opus est remediis, si medicus vias observaverit

vaverit diligenter, quibus natura exitum tantet (illius semper memor veritatis, medicum curare ac naturam mederi debere) curam autem eo perducatur, ut *naturae quasi ipsius minister obsecundet*: quam curationem tum in morbis acutis tum chronicis observari debere, specialius nunc considerabo.

#### § VI.

Mox adhuc illud praenotandum est, quod activitas medici in praeeoccupandis morbis operosa, minime contentenda sit, et quod non indiscriminatum in quolibet subiecto methodus expectativa indicetur; unde ad istam curationem illa subiecta idonea sunt, quae non nimio senio, vita misere inordinatae, nimia venere, aut in cupiditatibus infraenatis transacta, aut morbis praegressis vel immorigeris vel palliative vel male curatis etc. enervata, torpida et emarciata, sed vegeta activitate praedita sunt; nam ista corrupta morborum indoles liberum et facilem naturae medicatricis decursum pervertit, atque impedit, tuncque tot suspecta symptomata inter-

interveniunt, quae tempestiva artificiali mede-  
la indigeat. x) Similiter impurus aer inspi-  
ratus, pravae consuetudines, animi pathemata  
aut peculiaris idiosyncrasia et ab incunabulis  
viciatus corporis habitus subjecta ita inepta  
reddunt, quominus in iisdem salutaris suc-  
cessus aut effectus directe expectari queat,  
sed ubi medicus artem constanter exercere  
debet; neque convenit haec methodus in  
subjectis, quae venenum assumpserunt, et  
quae mox per initia morbus cum nimia vi-  
rium jactura corripit et opprimit, quales  
sunt

---

x) Expertissimus vere hypocraticus medicus Fr. May  
in pulcherrima dissertatione, de *Crisium salutarium*  
*impedimentis* Heidelbergae edita 1785. dicit *scinti*  
*enim proba ciborum potuumque digestio pessima hac*  
*consuetudine etc. nostro saeculo adeo familiari, suc-*  
*cessive depravatur; ita ingruente morbo morbi materies*  
*difficillimae manet coctionis, fere nunquam morbi acu-*  
*ti juvenutis mollitie fracta sicut ab Hippocrate tem-*  
*poribus solvantur; aut si etiam solvantur, per lentas*  
*nomis hys roborantibus ac analepticis copiose de-*  
*voratis, convalescunt, recidivis summopere obnoxii,*  
*nisi sagacior talium aegrorum medicus in sceleris por-*  
*tau longiore corticis peruvian aut chilibis usu,*  
*corium eorum undequaque futicens corroboret, ac*  
*severiori dietae servituti illos subiciat etc.*

sunt peracuti et maligni morbi in affectibus contagiosis etc. imminente suffocatione enormi haemorrhagia etc. (licet exempla adsunt naturam per spasmos animi deliquium et infrequentes vomituritiones ac vomitus haemorrhagias uterinas enormes post partus morbos vicisse) in quibus per expectationem ob increbrescentem per momenta virium iacturam mali potius successus metuendi sunt. etc.

§. VII.

Exinde patet a vero illum aberrare qui existimaret omnem activam medicinam non necessariam esse atque exinde quod salutare effectus expectari deberent ulterius colligeret, medicinam plane inutilem esse, praepremis cum videantur multi sine medico curati: quod dubium solvit HIPPOCRATES. y) dicens, *quod multi quidem sanantur sine medico, sed non sine medicina*, siquidem etiam regimen aegri congruum medicinae vices supplere, et medici expectativi conjuncta administratio, impedi-

menta

y) In Lib. de arte.

menta tollendo omnia remedia activa, quae turbant omittendo, viresque medicatrices dirigendo, naturae molimina fulcire debeat, quod in sequentibus magis patebit.

### III.

#### DE METHODO JUXTA MORBORUM STADIA EXSPECTANDI IN SPECIE.

##### A. FEBRIUM.

##### §. VIII.

**F**ebres optimas saepius morborum medelas salutiferaeque naturae molimina esse inde a plurimis medicis observatum est.

Magnus Anglorum Hyppocrates SYDEN-  
HAMUS febrium praesertim fallertissimus aequae  
observator ac domitor felicissimus dicit \*)  
*febrilem illam sanguinis commotionem a natura  
concitari, vel ut heterogeneitates quaedam  
hostiles ipsi intertextae secerantur, vel ut  
sanguini nova aliqua diathesis inducatur sint-  
que*

\*) In Op. univers. sect. I. cap. 10.

que febres nil nisi *naturae instrumenta* quibus partes impuras a puris secernant, ad quod perficiendum medicinae opus communiter quinque morbi stadia medico observatori facile perspicua impendit, i. e.

I. *Stadium Cruditatis.*

II. — — *Cochtionis.*

III. — — *Perturbationis criticae.*

IV. — — *Criseos, ac*

V. — — *Reconvalescentiae.*

quae utique in febris exanthematicis hinc inde alio nomine veniunt, ac signis diversa sunt.

§. IX.

STADIUM CRUDITATIS incipit, si materia acris heterogenea in tali quantitate in humorum massa seu aliqua corporis parte contenta cordis vasorumque ac ductuum excretoriosum fibras vehementer irritet, adeo ut exinde ista vasa veluti spasmodice contracta angustentur atque rigescant, neque sanguinem caeterosque humores sive facile reci-

reciperè sive liberaliter repellere fecernereque possint. Ob quam causam humorum circuitus impeditur et vasorum libertas deficit, minor in vasis attritus est, calor imminuitur frigusque est. Respiratio impedita pulsus parvus et frequens quandoquæ inaequalis est.

Retinetur illa, quæ fecerni debuissent ideoque urina tenuis aquosa cutis arserina alba vel subflava fit, a) porro humorum massa a materia morbosa magis depravatur viresque magis atque magis decrescunt, et actiones impeditæ sunt pro ratione quantitatis et qualitatis materiae morbosæ, et excretiones retentæ accumulatae malum augent: quod ex signis quæ ego hic prætereo cognoscitur.

Si itaque non multum, tamen aliqua ratione illa materia cruda aut mole minuitur, aut detritu minus irritans redditur, ut tum vasa paululum liberaliora agant, naturæ vires horum libertate magis magisque auctæ ad  
coctio-

\*) In præstantissimo opere de Feb. intermitt. lib. I, Cap. III.

coctionem vergunt, et morbum saepius vincunt, sic fit in febris earumque stadio cruditatis quam Hippocrates ideo definivit, idque naturam vocat, quod dum materia adversa in corpus intravit contra eam luctatur. In hoc casu cura eo dirigatur, ut universum corpus mollescat, et vasa relaxentur, quo liberalius materiam morbosam transmittere eandemque nunc blandiorem ac benignam reddere possint, et sic stadium cruditatis eo citius ad ultimum terminum suum perveniat, et coctio incipiat. Quemadmodum autem ipsa natura haec efficere nititur, et optime sciat, qua ratione mederi debeat, tunc naturam sequatur *medicus* qui juxta *Celsum* *Naturae minister est*. Si sciat in morbo cruditatem esse non adeo magnam, viresque vitae fatis pollentes ad illam subigendam, remedia praebere non conducit, sed solum ordinare quomodo et qua ratione regimen aegri sit parandum, ne natura in sua operatione turbetur.

Si autem cruditas nimis magna sit, quin natura illam vincere valeat, aut si impedi-

men-



mentum naturae agenti in via sit, tunc aut vires stimulantiae et arma quasi praebenda sunt ad debellandum morbum: sunt enim quasi inimici natura et morbus a quorum aut unius aut alterius super alterum excessu et sanatio rita aut longior morbus aut mors oritur. Sic in frigore ubi vis vitalis valde languet conducit si aeger vestimentis operiatur et fomentis calidis circumdatus potum calidum leviter aromaticum sorbeat etc. aut impedimentum tollendum. Sic si aegrum excruciat nostalgia non alio remedio sublevabitur, nisi dato patriae videndae promisso etc. languente enim anima languet vis vitalis omniaque naturae molimina in stadio cruditatis ac coctionis languent. Si aeger nimio sanguine plenus ob istius turgescientiam versus cor ac cerebrum ingentibus anxietatibus agitaretur; certe tum naturae ob turgescientiam vasorum, qua in actione sua impedita est, venaefectione occurreretur, ut fiat solutio ac coctio et haud raro jam sola v. s. febris testante CL. STRACKIO LAZARO RIVERIO et SYDENHAMIO b) jugulata est

b) *Cl. Strack* obs. med. de feb. intermitt. lib. I. cap. VI. fol. 90.

est, Si in ventriculo ac intestinis aliquid haerens in causa impedimenti fit, per vomitorium aut purgans pharmacum tollatur. etc.

§. X.

Interea in **STADIO COCTIONIS** materia acris heterogenea per vasa, etsi cum labore agitatur, pededentim conteritur sicque mitior fit, cor simul atque omnia univrsi corporis vasa ductusque excretorios non tam vehementer (uti cruda quaeque possunt) stimulat, vasa hinc liberiora fiunt et humores facile recipiunt eosque liberius circumagunt, frigus per restitutum humorum circuitum et attritum successive infringitur et calor oritur, qui initio quidem exiguus est, at cum resuscitatis vitae viribus successive major incrementum, intra quam respiratio densa liberalior et pulsus frequens aequalis plenus magnus ac mollis fieri incipit. Sed ubi calor ad summum pervenit univrsâ corporis cutis aret, nares linqua et fauces siccae sunt pulsus frequens celer (cujus pulsationes dato tempore iusto plures, acutam arteriae diafolem habent)

habent e) fitis inexplabilis magna adest, et  
urina rubra flammea. Subinde etiam febris  
ob nimium calorem aliud vitium generare po-  
test, i. e. crustam inflammatoriam quae in hoc  
stadio coquatur et ad eliminandum apta red-  
datur necesse est. In isto stadio quod modo  
difficile, modo longum, modo breve est, om-  
nia costionis impedimenta frenue inquirenda  
sunt, quibus sublatis sibi ipsi febris relinqua-  
tur ad alterandam et eliminandam materiam:  
quanquam etiam certi morbi designata sibi ha-  
beant specifica, haec tamen non operabuntur  
nisi pari ratione impedimenta sublata fuerint;  
id. de morbis quoque non febrilibus verum  
est, exemplum habemus in lue venerea cum  
scorbuto complicata cujus curatio cum mercu-  
rio non succedet, nisi antea removeatur scor-  
butus. Siquis scorbuto laborans vulnus habeat,  
non sanabitur vulnus, nisi prius scorbutus  
tollatur et possit oriri pus laudabile sanans.

### Magna

b) *Cl. Strack* nova theoria pleuritis verae et  
recta eidem medendi ratio experimentis demon-  
strata, mog. 1786, pag. 49.

Magna ideo et perutilis est scientia, quae designat quid impediat naturam, et quoniam impedimenta valde diversa sunt, non facile semper est illa cognoscere. Quando naturam ob caloris aliorumque symptomatum excessum non par est coquendo, tunc potibus refrigerantibus occurrendum. Si inflammatio adest quae ex pulsu frequente celeri cognoscitur, tunc sanguinis missio tamdiu instituenda, donec pulsus iterum molestat, non autem nimium sanguinis emittatur, ne natura nimis debilitetur, sed aliquid febris relinquendum est, despicierit igitur medici isti egerunt, qui tamdiu cum sanguinis missione continuaverunt, quamdiu crustam inflammatoriam in disco viderunt, non perpendentes, quod crusta febris et non febris crustae effectus sit, et omnino crustam illam per fluxum sanguinis eliminare velle impossibile est; residet enim in tota massa, etenim febris tantum relinquendum, quantum utile est; ad coquendum et crises faciendas; *Pars sanitatis est morbum trahere*, celsus dicit; per circulationem enim materia emendatur fit benignior.

Ad

Ad impedimenta etiam pertinent animi pathemata, moeror ac tristitia praecipue diuturna nataque inde virium jactura coctionem impedit. CL. MAY e) " Saepius vidit manuum hemii in carcere publico morum correctio- ni dicato, vires vitae moerore adeo pro- figatas, ut in acutis captivorum morbis levior venaesectio utut bene indicata, saepe pillime fuerit exitiosa. Vinum rhenanum decocto panis albi nuptum pro potu ordinario saepius porrigere debuit, ut fractas ex lenissimo cataractico vel moderata venaesectio, vires denno erigeret. etc.

Quando nunc per febrem materia cocta alterata vel ad exitum parata est, tunc vel per emunctoria externa critice eliminatur, vel per interna ad ventriculum ac intestina etc. deponitur ibique nunc collecta vomitu aut diarrhaea spontanea aut vomitorio aut purgante pharmaco evacuatur, si autem in principio morbi, absentibus omnibus saburrae ac coctio-

e) In Dissert. jam citata etc.

coctionis signis vomitoria aut laxantia dantur: nil nisi sincera ingesta i. e. medicamenta aut aquosa sine aegri levamine evacuantur, quae post coctionem copiosa meraca ac cum aegri levamine eveniunt. *Corda medicamento purgante educito ac mbeveto, minime cruda, neque per initia nisi suoapte impetu ad excretionem ferantur f).*

Signa coctionis quae utique post stadium eruditatis debent aparere, sunt lingua fordida, abdomen tumidum, conatus vomendi, cutis madida, pulsus elevatus fortis ac mollis etc. respiratio liberior, quies ac somnus aegri (quae utique optima naturae coctricis alterantia sunt) ac variae emunctiones per nares sputum faciliores et urina quae non amplius rubra flammea sed turbida fit et varia continet. — Si nubeculam habet non diffusam sed inferiorem et rotundam, optima vero est illa, quae sedimentum habet. Mala est si uti urina infantum aut mulierum hysterica-  
rum

f) Hypp. aphor. 2a, Sect. I.

rum quasi, clarificata est cum albumine ovi  
etc. sic natura non vincit, et pessimi ominis,  
si aeger vocem clangorem accipit, sic certe  
moriatur aeger. g) etc.

§. X.

Post bonae coctionis signa vero nunc  
propius sequitur STADIUM PERTURBA-  
TIONIS CRITICAE, scilicet ante materiae coc-  
tae expulsionem a materia commota et vasa  
emuntoria corporis transfuente, novae turbae ac  
certamina oriuntur, quae crisin ipsam antecedunt.  
Gravia tunc haud raro symptomata obveniunt,  
quae adstantes terrent ac medicum ignarum  
ita activum reddunt, ut morbum turbet,  
plurimum ideo tum medici tum aegrorum  
interest, signa ista cognoscere, quae omnia  
prae-

g) Conferantur *Prosper Alpinus* de praefugienda vita  
ac morte. *Thomas Glass* Comm. de Feb. ad  
hyppocrat. disciplinam accomodata. *Jod. Lom-  
mius* in suis obs. med. *Ch. G. Gruner* semio-  
tice phys. et patholog. generalem complexa *A.  
Metternich* de urina ut signo etc.

praenunciant, quod natura crisin molietur et praesertim ex pulsu, ex quo etiam praescire debet per quas vias natura materiae criticae exitum molietur: an per sudorem vomitum, alvi profluvium, per urinam per haemorrhagiam narium menstrualem, haemorrhoidalem, per sputum criticum, per supurationem parotides furunculos etc. quorum signorum prognosticorum amplam descriptionem hic praetereo, quum posteriori anno jam eruditus D. Ch. KÜLSHEIMER Praeceptoris excellentissimi hypocratici perspicui ac Observatoris CL. STRACKII dignus discipulus in Dissertatione inaugurali de Perturbatione critica ac crisi signa exemplis tam evidentibus confirmaverit: h) ex quibus medicus statim novit,

b) *Diff. inaug. med. de Perturb. crit. ac Crisi mog. 1786.* cum qua adhuc conferantur *Cl. Galenus de profug. ex pulsu. Solan de liquor lapis lydus Apollinis, quem anglice edendum curavit Jac. Nibel. Latine vero Guil. Noortwyk medicus Leidensis 1746. Henri Fouquet Essai sur le pouls par rapport aux affections de principaux organes etc. a Montpellier 1767.*

*Theoph. de Borden recherches sur le pouls par rapport aux Crises a Paris 1786. Tom. I. II*

M.



novit, quibus auxiliis naturae laboranti, si opus est succurrere debeat, praesertim autem plurimum interest id scire, ne intempestivis evacuationibus aut aliis remediis tumultuariis medicamentis ipsam in salutari quod molitur opere perturbet, ac crisin impediat, si v. g. medicus per pulsum dicrotum praesciat haemorrhagiam narium esse futuram, tunc illi succurrit, si vaporem calidum per nares attrahere jubet, et per hanc, licet non multum sanguinis esuat, natura plus juvat, quam si V. S. duplam vel triplum sanguinis missum e vena fuisset. Quando per pulsum plenum mollem ac intermittentem medicus diarrhaeam praenoscit, nihil movere debet (excepto enemate) quia natura per se jam sufficit et sic porro juxta omnia signa prognostica medicus exspectet, quum natura jam per se ad crisin vergat

---

*M. Fleming.* dissert. sur les de convertes de francois solano, concernant les modifications du pouls, et les prognostics, qu'on peut en tires, a londres 1753. *Wetsh.* medicina ex pulsu etc. vindobonae 1770 *Fr. Jos. Doerr.* diss. inaug. in qua veritas doctrinae sphygmicae obl. factis comprobatur. moguntiae 1781. 8v. etc.

vergat, et a remedium copia hic tan-  
tanquam a peste cavendum est.

## §. XI.

Quando nunc benignior fuerit morbi in-  
doles, uti praesertim verno tempore ac in  
corporibus vegetis et robustis fit, si quiete  
simul medicus expectaverit morbi stadia fel-  
ices etiam ejusdem erunt **CRISES NATURALES**  
per sudores et urinam, per haemorrhagias,  
per sputum vomitum aut diarrhaeas ab Hyp-  
pocrate statis diebus criticis observatae. Om-  
nia iterum ad superiorem dissertationem de  
perturb. crit. et crisi provocans hic tantum  
Hippocratis monitum adjiciam *i)* quae judi-  
cationem subierunt, ea neque moveto, neque  
medicamentis innovato, sed finito. Nam hostis  
est in habitu, morbus initur et procedente  
tempore nil convenit nisi paululum et repe-  
titis vicibus aegrum recreare cibus aut poti-  
bus amoenis et digestu facilibus ac nutrien-  
tibus etc.

Quando

---

*i)* Lib. I. de diebus decretoriis.

Quando autem in crisi praeternaturali ac imperfecta materia cocta posterius migrat et crisin facit per metastasin, aut cruda ad alium locum deponitur et abscessus facit, ut ibi coquatur ac eliminetur, oriuntur novi morbi, ubi medicus uti antea naturae moliminibus subministrare ac totam ab ea perficiendam curam exspectare debet; aut enim abscessus per se maturefcunt aperiuntur ac pus eliminatur, aut artis auxilio. Quandoque pessime haec materia in partes interiores v. g. in pulmones hepar etc., migrat, ibi haeret nonnunquam abscessus facit, quod si tunc per sputa pus laudabile eliminetur, aut alio modo evacuetur, aut abscessus externe erumpat, saepius aegri evadunt, si intus manet, citius aut lentius pereunt. Si in variolis post suppurationem materia iterum resorbetur, novos abscessus facit, qui aut in superficie erumpunt, aut in pulmonibus abscessus facit, et si tunc sputo non ejicitur moriuntur Saepe strangulati; juxta articulos ossa cariola fiunt, in ocalis fit coecitas, si in cerebrum se conjiciat, apoplexia moriuntur.

Inter

Inter morbi finem et perfectae valetudinis initium medium est STADIUM RECONVALESCENTIAE, intra quod restituntur functiones, quod adhuc memoratu dignum est, quippe jam ex recte perfecta crisi haud concludendum est, etiam nullos morbi effectus esse metuendos, sed valde etiam necessarium est, ad crises materiae morbi, quae in isto stadio fiunt, et quae valde ab illa februm crisi distinctae sunt, attendere, ideoque non morbos tantum qui sunt in actu studere, sed eosdem procul in reconvalescentiam prosequi, ut causae a morbo effectae, quae functionum restitutionem in reconvalescentia impediunt, cognoscantur, ut illis sublatis istae restituantur, quibus neglectis saepius nec recidivarum causas, nec morbum insequentem acutum vel chronicum cognoscimus, et vage hinc et valde erronee curamus. *Cujus rei enim non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest k).*

Sed

---

k) A. C. Celsus lib. III. cap. 9.

Sed ne hic multa repetitione eorum quae anno praeterlapso scripta sunt, nimis longus fiam, lectores meos ad perutilem istam dissertationem *de functionum intra reconvalescentiam restitutione* Authore D. St. DIEMER moguntiae editam 1786, transmittito, praesertim quum de ista materia in morbis chronicis ad quos jam transeo adhuc quaedam differuntur.

## §. XIII.

## B. MORBORUM CHRONICORUM.

Multi sunt sine febre, pauci cum febre utrique autem partim naturae beneficio sanantur, et uti morbi acuti aequae coctionem ac crises habent, si verus textus est Hippocratis *omnibus morbis est modus unus.*

Quamquam autem in hisce naturae molimina non ita manifesta sint, nec tam facile semper observari queant, nihilominus etiam in his stadia distingui sequentia possunt: nempe.

I. Sta-

I. *Stadium vigoris f. Cru-*  
*ditatis.*

II. — — *Immutationis f.*  
*Coctionis.*

quod maxime ex medicinae effectu ac meliori  
aegri habitu cognoscitur

III. *Stadium*  
*Resolutionis.*  
*Evacuationis.*

VI. *Stadium Reconvalescentiae ac*  
*Restitutionis functionum.*

§. XIV.

Quod natura multos morbos chronicos  
per se non artis auxilio sanet, exempla do-  
cent. Maniaci atra bile laborantes etiam in-  
clusi nonnunquam resipiunt; quum per ali-  
quod tempus naturae beneficio atra bilis solu-  
ta et eliminata est. Malum igitur est, intra  
affectus furiosos absque indicatione sangui-  
nem mittere fere usque ad animi deliquium  
vomitoriis ac purgantibus vires eorum vehe-  
menter convellere — principalis morbi causa  
intus

intus manet, quae recidivas facit, ipsi furiosi tumultus atrae bilis uti febris medelae essent, si medici his ita prudenter, uti febribus uterentur, ut atra bilis solvi ac eliminari possit. Sic arthritis vaga nonnunquam per motus febriles naturae beneficio insitutos, profluxu copiosae urinae strangurioso, sudore, aut abscessu sanatur. Sic hydropicus cutim habuit aurigine tinctam, abscessum accepit in pulmonibus, et multum puris sputo eiecit, sanatus fuit sine artis auxilio, et quidem ita obstructio hepatis causa erat hydropis, dum illa post abscessum in pulmonibus sublata erat, bilis in intestina profluxit, et alvi sedes excitavit, quod erat crisis icteri, dum icterus sanatus fuerat, causa hydropis sublata fuerat, quo facto hydrops per urinam copiosam iudicatus fuit, quae igitur crisis hydropis fuit.

§. XV.

Dum igitur natura in morbis chronicis curationes instituit clare inde videmus, quod illam etiam in curatione tanquam magistram debeat imitari medicus. Per artis auxilia id

tan-

tum efficitur, ut causa morbi mutetur et enervetur, quo facto natura crisin ipsa perficit.

Causae vero illorum scrutatu difficiles et triplices esse possunt.

1. Aut a laesa functione
2. — Crisi intra morbum vel intra reconvalescentiam turbata.
3. — Privato miasmate.

Si restituo functiones unam partem morborum chronicorum sanare possum, si causam auferro, quae crises intra morbum acutum aut stadio reconvalescentiae impediunt, secundam partem, si remedia offerro quae miasma pellunt, tertiam quoque partem morborum chronicorum fano.

Quandoque etiam non cognoscitur et multi sane morbi empirice vel per expectationem ac naturae beneficium sanantur; pulcherrimae hinc Baglivii sententiae sequamur <sup>1)</sup> quum

<sup>1)</sup> De fibra motrice etc.



quam febres alique morbi in longum protrahuntur  
tempus, nulla est ratio medendi melior, quam  
pharmacis abstinere, adhibito tantum convenien-  
ti viâ, quo foveatur natura ne digestionis vis  
attenuetur, ita multos convaluisse comperi. Re-  
veniamus ad secundum causae genus, ad quod  
cognoscendum ac certius curandum scire de-  
bemus, quales crises quales restitutiones func-  
tionum intra reconvalescentiam fieri debeant,  
simulque quale illud impedimentum sit quo  
cognito et sublato demum tanquam causa mor-  
bi, morbus ipse tollitur, cavendum autem  
est, ne restitutiones functionum pro crisi,  
aut hanc pro illis habeamus sic copiosum uri-  
nae profluvium post febrem intermittentem  
cortice peruviano sublata proveniens, non  
est crisis, sed restitutio functionum, si vero  
hydrops inde natus fuit, crisis utique  
hujus erit. Si post morbos diurnos inflamma-  
torios crusta inflammatoria, quae cocta in  
stadio reconvalescentiae in insimum ventrem  
deposita ibique haerens se ac excretionem im-  
pediverat, iterum aut per se aut purgante  
pharmaco eliminatur, et urina iterum cum  
caeteris se ac excretionibus liberaliter fluit etc.

tunc

tunc illa urinae fluxus non est crisis, sed restitutio functionum. Si autem stagnans magis magisque computrida (quod ex appetitu deleto ventre tumido lingua sordida horripilatione vespertina febrili cognoscitur) magis atque magis vel in febrem putridam vel oedema pedum vel ascitum etc. mutatur, iterum eliminatur per alvum et postea urinae albae clarae copiosae fluxus sequitur: tunc ille fluxus hydrophis crisis est. etc.

Tertium causae morbi chronici genus miasma privatum v. g. M. febris intermittens scabiei, luis venereae, crustae lacteae, rachitidis arthritidis, podagrae etc. partim specificis remediis quorum utique eheu perpauca sunt, nisi impedimenta obstant, alterari possunt, et sic ea qua natura tendit via evacuari, aut cum corpore assimilari.

#### §. XVI

Aut graviores morbi chronici complicati oriuntur, qui strenuorem medici observatoris curam ac reflectionem requirunt, exemplo sit hydrops, cujus vulgaris quidem in omnibus

iii

~~1483~~  
 is medicamentis cura consistit, quae urinam  
 pellunt, aut ingentem quantitatem aquae per  
 alvum expurgant, aut sudorem pellunt etc. ut  
 sunt expressae millepedes, oximel squilliticum,  
 colchicum, pulvis squillae, vinum diureticum,  
 lactuca virosa, iris nostras, digitalis purpu-  
 rea etc. roos sambuci juniperi ebuli etc. ut  
 cutis laxa fiat et aqua per transpirationem pro-  
 moveatur etc. sed vana haec omnia sunt, nisi  
 natura ipsa per istas vias exitum tendit, et  
 consultius est nullam facere medicinam. Recta  
 et conveniens ideo cura juxta causas, quae hy-  
 dropem faciunt, instituitur, quibus remotis  
 hydrops naturae beneficio, aut copioso uri-  
 nae fluxu aut sudore aut alio exitu sana-  
 tur. Quum autem causae diversae sint, etiam  
 remedia diversa naturae viribus conjungentur:  
 alia enim hydropis cura requiritur, si venit  
 a vermibus ac putrida colluvie in infimo ven-  
 tre praesertim in infantibus, a crusta inflam-  
 matoria post morbum acutum in infimum  
 ventrem deposita, et alia iterum si venit a  
 miasmate v. g. febris intermittens dysenteriae,  
 luis venereae, scabiei, crustae lacteae et tinea  
 recussae, et alia iterum si venit ab obstructio-  
 nibus

C

nibus

nibus hepatis ac ictero, pancreatis glandularum meseraicarum et atrophia, a chlorosi, menstruorum ac urinae retentione, propter tenaces humores, graviditatem, debilitatem et rupturam vasorum lymphaticorum per contusionem aut senectutem ortam, etc. a phthisi ac omni tabe etc. et alia denique requiritur cura, si causae ignotae sunt, de quibus omnibus curationum exempla enarrare mihi nimis molesta circumscriptio foret, quin tamen istius materiae pro univ[er]sa praxi medica valde pragmaticae unquam in dissertatione inaugurali satisfieri possit.

Sufficiat hic de hydrop[er]e cujus saepissime causae latent, id pro omnibus adhuc commemorasse, nempe observatum est, modo sponte obortum urinae profluvium esse, modo per diarrhaeam aquosam, modo per sudorem, modo per salivam (quod rarius forte accidit) modo per ulcera et excoriationem cutis, modo per aperturam umbilici, aut aquas proprio suo pondere per cellulosam telam, per distentam, maceratam, ac ruptam tandem pedum aliarumque partium cutim naturam hydropem sustulisse,

sustulisse, restitua integre sanitate. Plurimum itaque intererit, attente observare & expectare, quo potissimum vergant salutifera ista naturae molimina, et quo illa viam medico praemonstrent: male enim sudorem exprimere conabitur medicus activus, si renibus aquam expellere natura sibi proposuerit, et vice versa incassum, nec sine damno diuretica exhibebit, si per cutis spiracula humorem dispare illa statuerit; neque vero semper difficillimum erit explorare, quo natura tendat, modo attentissimo studio ad omnia quae illa molitur attendat medicus. Sic cutis madida, cum aliqua tumoris imminutione indicatio erit, naturam per illam viam curationem tendere, temere turbaret medicus activus naturae conamina oximelle colchico et purgantibus hydragogis etc. (vulgaribus et usitatissimis huc usque empiricorum irrationalium in omni hydropis genere remediis) ista autem remedia prae caeteris indicabuntur, si alvo vel diuresi natura profluvia sponte moveret etc.

Non in hydropo solum, sed caeteris morbis chronicis et acutis medici neglectis talibus considerationibus, miraculosis ac heroicis remediis specificis quae manu tenent, morbos quasi in primis incunabilis radicibus evulsuri, naturae molimina morborum stadia, et expectationem rident, iisque hinc in coeca empiria male utuntur et audacissime uti agyrta quisque in medicinae practicae campo de corio humano ludunt. Vere hypocrates dixit *m) quae profuerunt, ob rectum usum profuerunt, quae autem nocuerunt, ob id nocuerunt, quod non recte adhibita fuerunt.* Sic in febre intermittente prius dant vomitorium deinde pharmacum laxans, postmodum corticem peruvianum, quo febrem vel non vel haud sine recidiva opprimunt, *qui febre uti nescit mederi ignorat n)* lethalem recidivam ex ista curatione empirica vidi, quam propter mirabiles suos eventus libentius hic publice nar-

*m)* In Lib. de arte.

*n)* C. Strack Di ff. de Epineptide pos. XXXV.

narrarem, si absque personali in medicum activum suspitione excitante fieri posset.

§. XVIII.

C) Ex CHIRURGIA aequae etiam innumeri casus enarrandi essent, quos natura cum expectativa medici ministri curatione juvaret, nisi praecipitanter saepius activitate turbaretur, imo in pejus verteretur. Sic in carie ceu simplici ossis ulcere adplicatione illorum topicorum, nempe tincturarum spirituosarum mirrhæ alois euphorbii ac causticorum actualium etc. profunda eorum mors seu necrosis magis causatur, quum escharoticis illis vis vitalis, quae leni rectius curatione pro partium nutritione abolitarumque regeneratione naturali conservari deberet) citius destruat. Similiter erroneus saepe metus est, ex carie necrosin ortam, ut citius decidat, terebris, uti CELSUS, ALBUCASIS, BOLOGNINI, BELLOSTE etc. suaserunt, saepius perfodi, scalpris radi, ferris praecidi, aut ferramentis ignitis aduri debere, quippe ex solo, jam naturae beneficio exfoliatio, et partium de mortuarum a  
vivis



vivis optima separatio mirabili modo o) peragitur. Quod in nosocomio civitatis Moguntinae pauperum curante simul dexterrimo ac expertissimo chirurgiae Praeceptore meo. Cl. WEIDMANNO una cum simplici cariei curatione vidi, quae uti quodlibet carniū ulcus, solo unguento digestivo simplici naturae beneficio (omissis omnibus acribus et causticis remediis) sanata fuit. Temporis spatiique angustia jam non permittit, me in ista praestanti et valde pragmatica materia per plures adhuc casus chirurgicos extendere, sufficiat tantum cum pulcherrima ista Cl. Praeceptoris sententia praecludere (*in hoc vero attendendum praecipue est, ut neque boni et faciles naturae conatus intempestiva et supervacua arte turbentur, neque, dum natura in devia vel defluit, vel impossibilia molitur, ars audax non omittatur, ante omnia autem intelligere oportet, quid natura praestet, antequam quid arte faciendum p)* quae non minorem in artem obstetrica-

o) Quam amplius et distinctius descriptum invenimus in *Jo. Pet. Weidmanni* adnotatione de necrosi ossium. Mog. 1784. pag. 12.

p) Ad notatio de necrosi ossium. pag. 12.



tricalem influxum habet. Ingentibus ac diu-  
 durantibus saepe per 24 et ultra horas primi-  
 paras et alias vegetas mulieres doloribus in  
 partu naturali vexatas in domu obstetricali  
 moguntina vidi, quas tamen sola expectatio-  
 ne obstetricantium naturae viribus subegerunt;  
 sobole feliciter enixa.

Perniciose ac vane hinc ignarae obstetri-  
 ces parturientes praemonent, cum proprio ac  
 voluntario corporis impetu eosdem aut elabo-  
 rare, aut eos in absentia sua excitare, perni-  
 ciosissimum autem opus est, in isto naturae  
 conamine non expectare posse, sed praema-  
 ture nimis, aut ad suae in exercenda arte  
 habilitatis vanam laudem acquirendam, aut ad  
 parturientium delicatularum quaerimoniis mi-  
 sericordiam tribuendam; forcipem applicare;  
 ex cujus fatali praematura ac inepta appli-  
 catione mulier non longe ab hinc tempore  
 ex inflammatione uteri moguntiae obiit. No-  
 tandum insuper venit minime unquam neces-  
 sarium fuisse, post partum naturalem placen-  
 tam artificiali, modo solvere atque extrahere,  
 sed sola naturae separatione vel post 8 circiter

minu-

minata vel post  $\frac{1}{4}$  aut  $\frac{1}{2}$  horae aut etiam post  
1. 2. vel 3. horas secuta est. g)

Reliqua quae reserenda adhuc supersunt,  
ex citata partim jam ratione, partim ne speciminis  
hujus inauguralis limites transgrediar, eruditi  
lectoris humanitate pariter ac aequitate confi-  
sus, omitto.

- g) Conferatur diss. inaug. fata et funera puerperarum ex  
solutione placentae artificiali oriunda, auth. *Fr. Mey*  
Heidelbergae 1786. 4to etc.

*Errata*

*Legenda.*

Pag.	Lin.		
1	4	anferantur	anfferantur
1	5	fit	fit
2	5	arfiduam	affiduam
3	not. n)	folentia	folertia
4	not. l)	de natura etc.	natura etc. victrix.
		victoria	
		de natura etc.	natura etc. destruent. De
		destruente ju-	justo februm modera-
		sto etc.	mine.
5	13	pejus	pejus
8	2	tantet	tentet
9	not. a) 8	fracia	fraciae
10	19	congruum	congruum
11	§. 8. 5	fallertissimus	folertissimus
13	9	retinetur	retinentur
	10	arferina	anferina
	not. a)	in praesf.	Cl. Strack in praesf. etc.
	20	auctae ad coct.	auctae deinde ad coct.
16	16	quam	quem
18	10	molefcac	mollefcac
24	9	omitum	vomitum
	16	initor	finitur
25	20	facit,	faciunt,
30	9	caufam	caufas
	18	pulcherrimae etc.	pulcherrimam etc. senten-
		sententiae	tiam
32	1	illa	ille
39	5	quas	quos
	10	eosdem	dolores
	23	artificiali, modo	artificiali modo

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain several lines of script.

Handwritten table of contents or index, organized in columns. The text is mirrored bleed-through from the reverse side of the page.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	36	37	38	39	40	41	42	43	44	45	46	47	48	49	50	51	52	53	54	55	56	57	58	59	60	61	62	63	64	65	66	67	68	69	70	71	72	73	74	75	76	77	78	79	80	81	82	83	84	85	86	87	88	89	90	91	92	93	94	95	96	97	98	99	100
---	---	---	---	---	---	---	---	---	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	-----







ULB Halle

005 361 826

3



v. D. 8









Farbkarte #13

Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Inches  
1 2 3 4 5 6 7 8

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

B.I.G.

M  
MO  
PRA  
ILLUST  
ACAD  
GRADU  
RI  
QUAEDAM DIS  
STRATIONE  
AUGUS  
DIE XXVI  
IN A  
M  
Ex. Typogr. Elec

3.  
10.

230.